

pterea interdum, quòd non uniuersalissimam adduxerit oppositionē,
interdum quòd non aliam etiam uenatus est efficientem causam, que
pati ipsa impotens, & ueluti arte, & ratione utens, illorum modere
tur, & quasi cohibeat uim, aliam agentem substantiam nullam agno
scit Aristoteles simplicia constituens, & neq; mista etiam compo
nens, ex elementorum ipsa constituens differentijs, non quidem inte
gris, at mutuo passis, imminutisq;. Elementa, inquit, omnia contrarie
tatem habent, quoniam ipsorum differentiæ contrariæ existunt, dif
ferentijs porro à quibus constituuntur immutatis, immutantur & ip
sa, ex aqua igitur aer fit, frigiditate in caliditatem uersa, at si neu
tra, inquit, differentia neutram uicerit, mutuo autem in se ipsas agen
tes, et mutuo patientes, sese mutuo imminuerint, debilitauerintq;, utri
usq; igitur retusa appareat uis, & refracta, utrumq; immutatur, non
igitur aqua amplius remanet, nec aer, & neq; aer constituitur, nec
aqua, sed tertiū quoddam, ueluti ex utroq; compositum, quoniam au
tem uirium inæqualitas, non in indiuisibili, non unum modo genera
tur, sed infinita propemodum, carnes inquit, & ossa. Et rerum ge
nerationē, constitutionemq; edocens Aristoteles, est, inquit, simplex,
& naturalis generatio, transmutatio facta ab actiuis qualitibus, à
caliditate uidelicet, & frigiditate, è subiecta materia. Nō igitur sim
pliciū modò formæ, caliditas Aristoteli uidetur, & frigiditas, sed cō
positorum ex ipsis omnium, refractæ illæ quidem, et mutuo à se ipsis
passæ, imminutæq;, at ipsæ eadē tamen, et neq; aliæ uideri queāt,
neq; enim, ut dictum est, aliud à se ipsis constituant illæ: at neq; aliun
de compositis forma alia superueniat ulla, que nimirum è cælo dez
fluere queat tantum, at è cælo nihil, præter calorem Peripateticis
manat, et non ille à propria cæli substantia, sed in sublunari aere à
cæli motu factus, qui igitur non alius ab elementari uideri queat, at
quicumq; sit, calor certè superaddi e cælo mistis potest tantum, non
igitur alia insit mistis forma, at calor, uel frigus tantum, & non cæ

2. de gen. T.

48.

4. meteor.
Cap. primo.